



CAPUT IX.

De Fama, & Oculari Inspectione.

Post quinque Probationum species, jam jam excusatas, supersunt adhuc duae species, *Fama*, & *Ocularis Inspectio*; quae, licet titulum & sedem peculiarem neque in Corpore Juris Canonici, neque in Corpore Juris Civilis invenierint, dignissima tamen sunt, ut speciali capite discutiantur.

SECTIO I.

De Fama.

SUMMARIUM.

1. Fama tyman.
2. Duplex acceptio.
3. Definitio.
4. Est communis opinio.
5. Voce manifestata.
6. Ex conjectura proveniens.
7. Distincta a notorio.
8. Dividitur in generalem & specialem.
9. Fama probanda.
10. Per duos testes.
11. Furatos.
12. Reddentes rationem scientiam.
13. & 14. Ponitur aliqua limitatio.
15. Et sciunt, quid Fama sit.
- 16.

17. In Civilibus fama semi-plene probat.
18. Ostenditur.
19. Aliquando plus probat.
20. In criminalibus ne quidem semi-plene probat.
21. Nec sufficit ad toruram.
22. Sed ad inquisitionem specialem.
23. Incarcerationem.
24. Purgationem canonicam.
25. Suspensionem ab officio vel beneficio.

Quid sit Fama?

1. Fama a *fando* dicitur: nam *fandō* & loquendo pervagatur linguas & aures hominum, veluti notat ex Iudoro & Frehero Samuel Stryck in *tract. de Jure Sens. dissert. 3. cap. 1. n. 44.*
2. Alia est hominis; alia inter homines. Fama hominis est ipsius existimatio, seu dignitatis illa saeculis, moribus & legibus comprobatus, qua ex delicto nostro auctoritate Legum minuitur, aut committitur ad mentem Joci in *l. cognitio n. 5. §. 1. ff. de Extraord. cognit.* Fama inter homines est hominum, de altero sententia & loquentium, opinio. P. Wiestner ad *sir. de Probat. num. 31. P. Reiffenstuel ad sir. de Testib. n. 387. & seqq.*
3. Definitur a Bartolo, quem referunt & sequuntur Stryck *cit. num. 44.* Miller ad Struv. *exercit. 28. th. 4. lit. b.* quod sit communis opinio, voce manifestata, ex suspitione proveniens.
4. Dixi I. *communis opinio.* Debent enim communiter homines aliquid asserere vel judicare, ut Fama nascatur *arg. l. si quis 3. in pr. ff. ad Sc. Macedon. l. cum quidam 30. §. 3. ff. de Acquir. vel omitt. hered. l. Labeo 7. §. 1. ff. de Suppellect. leg. Secus, & si pauciores de communitate quidpiam spargant, rumor potius quam Fama dicitur. *Aa. cit.**
5. Dixi II. *voce manifestata.* Enimvero quod communiter quidem tenetur, vel cogitatu, vel

- scripto, vel facto, id ad communem opinionem vel sensum pertinet: sed Fama non confligit, nisi communis estimatio per ora hominum divulgetur, juxta illud Virgilii:
*Fama malum, quod non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, virisque acquirit eundem.*
Aa. iidem.
- Dixi III. *ex suspitione proveniens.* Libentius dixissem: *ex conjectura proveniens.* Tamen enim persaepe Fama ex mera suspitione resultat; nonnunquam tamen ex probabili conjectura suboritur. Unde generalior erit terminus *conjectura*, quam *suspicio*.
- Quicumque tamen assumatur, distinguitur Fama a manifesto & notorio, quod ita publicum & populo certum est, ut nulla tergiversatione celari possit; vel notoritate juris, forte quod sententia sit lata a Judice; vel notoritate facti, quod admissum vel perpetratum sit in conspectu totius vel majoris partis populi. Pax Jordan *lib. 14. tit. 17. n. 121.*
- Dividitur Fama a Stryckio *cit. l. n. 46.* in generalem & specialem. *Generalis* est, quando de uno homine in genere Fama percipitur, ipsum deliquisse, v. g. esse furem, latrorem, adulterum, &c. *Specialis* est, quando de homine specialia & determinata delicta sparguntur, v. g. Sejum a Titio occisum; Bertham a Sempronio impraegnatam esse &c.

§. II. Quomodo Fama probari debeat?

9. Ad hoc ut Fama quidpiam probet, ipsa probetur antea, necesse est. Licet vero non pauci affirmare sint ausi, quod toto tempore vitae suae nunquam viderint processum, in quo plene fuerit probata Fama, uti videre est apud Pacian. *de Probat. lib. 1. cap. 49. num. 27.* Non tamen adverte, quod ratione hoc procedat, si sequentia concurrant.
10. Debent scilicet imprimis duo testes de auditu deponere, quod audiverint a potioribus de communitate, rem ita vel ita se habere *arg. cap. qualiter & quando 24. de Accusat. cap. praeterea 27. de Testib. l. ubi numerus 12. ff. eod. Mascard. de Probat. conclus. 70. n. 1. Pax Jordan *cit. l. n. 130. & seqq.* Hieronym. de Monte in *tract. de fin. regund. cap. 55. n. 8. Stryck *cit. disert. 3. cap. 4. n. 2.***
11. II. debent iidem testes suam assertionem juramento confirmare: sicut enim in aliis casibus testium non-jurato non creditur, ita nec in probatione Famae; prout contra Mascard. *d. l. num. 38.* docet Stryck *d. cap. 4. n. 5.* limitans suam doctrinam, quando decem aut plures testes unanimiter de Fama deponunt: tunc enim numerus supplet, quod in duobus admittere periculosum videbatur.
12. III. debent testes reddere rationem suae scientiae, seu nominare personas aliquas, a quibus Fama ducat originem; & si personae illae non sint honestae, egregiae, vel fide dignae,

- Fama vel nullam vel exiguam vim habet *arg. cit. cap. qualiter & quando 24. de Accusat.* ibi *si per clamorem & Famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem a malevolis & maledicis, sed a providis & honestis.* Facit etiam in Carolina Constitut. *art. 25.* & ibi D. Christophorus Blumblacher in *comment. n. 1. P. Engel ad sir. de Probat. n. 16. & seq.* Fusè Stryck *cit. l. n. 7. & 13. seqq.* ubi in *num. 13. & 14.* ponit duas limitationes: prima est, quando testes exprimunt conjecturas & argumenta, ex quibus Famae sumptum initium; secunda, quando pluralitas testium concurrat. Addi possunt aliae duae limitationes ex P. Engel *cit. l. num. 15. P. Haunold *cit. tr. 4. n. 332. P. Wiestner ad sir. de Probat. n. 34. Miller ad Struv. *cit. exercit. 28. th. 4. lit. b.* quando videlicet factum est antiquum, in quo sufficit dicere, a majoribus & antecessoribus ita creditum & assertum esse; vel quando factum est consilium coram personis minus legalibus; quod casu vix aliae possunt initium. Rota Rom. in *rec. p. 12. decis. 378. n. 10. Sabellus in Summa §. Fama n. 6.***
- IV. debent Testes saltem in confuso & superficialiter scire, quid sit Fama: alioquin ineptè de Fama deponerent, si, quid Fama sit, omnino nescirent. Mascard. *cit. conclus. 70. num. 21. Stryck *cit. l. num. 18. Sabellus d. l. num. 2. & 3.**

§. III. Quid operetur Fama in Civilibus?

16. Fama, si rite probata fuerit, facit in civilibus regulariter semi-plenam probationem; ita ut, si alia semi-plena probatio, unus testis, praesumptio urgens, confessio extrajudicialis, absente adversario, cum expressione caute; accedat, probatio plena consurgat.
17. Ita non obscure statuitur in *cap. praeterea 27. de Testib.* ubi Gonzalez *n. 3. L. testium fides 3. §. 2. ff. eod.* ubi ad hoc, ut probationem plenam efficiat Fama, requiritur *consentium Fama*, quasi nimirum Fama tum demum cum plenitudine probet, quando cum aliis indicis aut adminiculis consentit. Mascard. *de Probat. concl. 754. num. 11. Engel *cit. l. num. 18. Haunold d. l. num. 354. Stryck *cit. cap. 4. n. 22. Wiestner *cit. l. n. 38.****
18. Dixi *regulariter.* Aliquando enim plus quam semi-plene, aliquando minus probat. Plus & interdum plene probat, quando factum

- est antiquum, occultum, probatum difficile, peccati periculo obnoxium, vel ex usu & opinione populi interpretandum; veluti contingit in probatione finium, mortis, impedimenti matrimonialis &c. per textum in *cap. cum causam 13. de Probat. l. si arbiter 28. ff. eod. cap. in presentia 19. de Sponsal. cap. super eo 2. de Consanguinit. & Affinit.* Rota Rom. in *recens. p. 1. decis. 75. num. 1. & decis. 182. n. 7. p. 8. decis. 286. n. 1. Mascard. d. l. n. 7. Engel d. l. num. 19. & seqq.* Pax Jordan *d. lib. 14. tit. 17. num. 138. & seqq.* Haunold *d. n. 351. Stryck d. num. 23. Antonell. de Temp. Leg. cap. 3. n. 14. Reiffenstuel ad sir. de Testib. d. n. 405.*
- Minus quam semi-plene probat, quando vel causa civilis est ardua; vel Fama non est sufficienter probata; vel contrariis praesumptionibus elisa. Rota Rom. *p. 3. dec. 117. n. 14. in fin. Pax Jordan d. l. n. 150. Wiestner d. l. n. 40.*

§. IV. Quid operetur Fama in Criminalibus?

20. Apud omnes receptum est, Fama in criminalibus in ordine ad poenam infligendam nec plene nec semi-plene probare. Rationem dant: quia probationes, ad inferen-

- dam poenam requisita, luce meridiana clariores sunt, necesse est. Rota Rom. in *recens. p. 2. dec. 358. n. 8. Pax Jordan. d. l. n. 145. & seqq. Haunold *cit. l. n. 354.**

- 21 Quin & illud obvii quique Authores tenent, Famam solitariè spectatam, tantarum non esse virum, ut torturam possit efficere, nisi vel alia adminicula conjuncta habeat, vel ex indicis urgentissimis, ac antea probatis, suboriatur, juxta manifestam sanctionem Caroli V. in Constitut. crimin. art. 6. Mascard. concl. 755, n. 6. & seqq. Carpov. pract. crim. p. 3. q. 120. n. 27. Engel cit. l. n. 18. Blumblacher ad eand. Carolin. art. 25. num. 2. Stryck de Fure sens. cit. dissert. 3. cap. 4. n. 30.
- 22 Non omni tamen effectu Fama desinitur in criminalibus: I. enim dat fundamentum inquisitioni speciali in personam infamatam,

juxta cap. qualiter & quando 17. cap. cum oporteat. 19. cap. qualiter & quando 24. de Accus. Pax Jordan d. l. n. 153. II. subinde datur locum incarcerationi, quando persona infamata de fuga suspecta, nec adeo propter antea vitam honesta est. D. Christophorus Blumblacher in Commentar. ad cit. art. 6. Carol. n. 3. Stryck cit. l. n. 34. III. in foro Ecclesiastico inducit purgationem Canonica per cap. presbyter 5. l. q. 4. Pax Jord. d. n. IV. in eodem foro quandoque tribuit facultatem, infamatum ab officio & beneficio suspendendi cap. inter sollicitudines 10. de Purgat. Canon.

SECTIO II.
De Inspectione Oculari.

SUMMARI A.

26. Inspectionis Ocularis nomenclatura. 27. & seq. Synonymia. 29. Descriptio. 30. Eff. actus judicialis. 31. Quo Judici. 32. Vel Commissario. 33. De re dubia. 34. Per illius aspectum conciliatur fides. 35. Instituitur in causa finium regundorum. 36. Nuntiatioe novi operis. 37. Cautioe damni infelici. 38. Inspectione instrumentorum. 39. Inspectione corporis humani. 40. Delicto. 41. Re-

quiritur auctoritas Judicis. 42. Cognitio causa. 43. Legitimum tempus. 44. Citatio eorum, quorum interest. 45. Alias non citatos non nocet inspectio. 46. Convocatio peritorum. 47. Qui jurare debent. 48. Adhibitio Notarii vel Scribae. 49. Effectus est probatio. 50. Qua omnes reliquas transcendit. 51. & seq. Sententia exinde lata potest per relationem & Inspectionem peritorum rescindi. 53. Dubius amittat vicium.

§. I.

Quid sit inspectio Ocularis?

- 26 **I**nspetio Ocularis, quæ & ipsa inter species probationis primò locò referenda est, dicta & deducta est ab eo, quòd oculis inspicitur res, de qua controversia suscitatur.
- 27 Dicitur aliò nomine aspectus l. minor 32. ff. de Minor. l. si alterius 3. Cod. si minor se major. dix. præfens aspectus l. nautici 1. Cod. de Canon. frumentor. urb. Rom. localis inquisitio l. dies cautioni 4. in pr. ff. de Damn. inf. indagatio l. ult. Cod. Quando tutor. & curator. esse desinans.
- 28 Dicitur etiam à DD. experimentum oculare, intuitiva probatio, demonstratio ocularis, probatio perspectiva, visus repertus; germanicè Augenschein / augenscheinliche Besichtigung / Beweisung / Not. Miller ad Struv. cit. exercit. 28. th. 14. Notam. 15. pag. m. 184.
- 29 Describitur ab eòd. Millero d. l. notam. 14. quòd sit actus judicialis, quòd Judici de re dubia vel factò controverto, per illius aspectù, fides conciliatur.
- 30 Dixi I. actus judicialis: tum quia est species probationis: tum quia, licet sæpius extra judicium fiat, plerumque respicit judicium: tum quia Judicis, per se vel per alium comparentis, autoritate peragitur per l. si irruptionem 8. §. 1. ff. Fin. regund.

Dixi II. quòd Judicis. Nam, ut monitum est, Ocularis inspectio Judicis Authoritate peragitur. Et quidem si Judex sit Ordinarius, non tantum ad instantiam partis, sed & motu proprio vel adhibere vel decernere potest Inspectionem Ocularem arg. cit. l. si irruptionem 8. §. 1. Sin Judex non sit Ordinarius, nequit Ocularem Inspectionem instituire, nisi specialiter hoc ei commissum, vel nisi alias commodè testes examinare non possit. Samuel Stryck in tr. de Fure Sens. dissert. 1. cap. 2. num. 2. & 3. Quod intelligendum velim de Judice Notionis, non Jurisdictionis.

Dixi III. de re dubia vel factò controverso. Sunt nam quæres & facta quàm plurima, circa quæ, si dubietas vel controversia exsurgat, veritas non aliter potest indagari, quàm per Oculare Inspectionem, ex dicendis in §. seq.

Dixi IV. per illius aspectum fides conciliatur. Ubi duo veniunt advertenda. Primum est, quòd Ocularis inspectio sit species probationis, & fidem faciat. Secundum, quòd à cæteris probationis speciebus per hoc distinguitur, quia per aspectum & intuitionem ipsius rei, oculis subjectæ, fides Judici conciliatur.

§. II.

In quibus causis Ocularis inspectio locum habeat?

- 35 **O**bjectum Inspectionis Ocularis sunt causæ, in quibus suscipitur. Ex his prima

est quæstio finium regundorum. Si enim quæretur de finibus, vel quòd casu aut culpa

sint confusi; vel quòd ob lapidum & limitum repositionem sint immutati, non suppetit: efficacius remedium, fines confusos aut incertos regendi & dirigendi ad justitiae limites, quàm si Judex ipsemet ad finis controversia accedat, aut, si nimis fortè remota sunt, ichnographiam loci contracti in charta notari, & sibi præfentari petat juxta l. de modo 7. l. si irruptione 8. §. 1. ff. l. si quis 3. Cod. Fin. Regund. P. Engel ad tit. de Probat. n. 11. Stryck cit. tract. disp. 1. cap. 1. n. 10. & seqq.

36 Secunda est nuntiatio novi operis. Postea, quàm enim novum opus nuntiatur, ne videlicet in eo ædificando ulterius pergatur, donec de jure ædificantis consulerit; vix aliter lis dirimi potest, quàm si Judex per se vel Commissarium adeat locum ædificii, & videat, an quis in alieno vel proprio fundo; cum vel sine præjudicio alterius, ædificet. P. Engel d. l. Stryck cit. l. n. 63.

37 Tertia est cautio damni infelici. Nam, si vicinus à vicino petat, ut propter domum suam ruinofam, ex qua periculum vicino imminet, caveat de damno, si quòd ex ruina domus cum tempore eveniret, relinquitur, non tantum utile, sed & necessarium est, ut domus ruinosa subsiciatur oculis, & ex qua parte ruina sit timenda, videatur l. dies cautioni 4. in pr. ff. de Damn. inf. & ibi Gothofred. in not. lit. a. P. Engel d. num. 11. Stryck cit. l. n. 64.

38 Quarta est inspectio Instrumentorum, non tantum, quando produciuntur in Judicio, sed etiam, quando describuntur, recognoscuntur,

aut inter se comparantur: Judicis siquidem est, in similibus circumstantiis inspicere Instrumenta, & expendere, num falsa, rafa, corrupta, cancellata, subscripta, sigillata &c. sint per cap. si scripturam 1. cap. pen. & ult. ubi Gonzalez n. 3. de Fide Instrument. cap. quàm gravi 6. de Crimin. falsi.

Quinta est inspectio corporis, quæ subinde necessaria vel ad probationem ætatis l. cum de atate 13. ff. de Probat. vel ad demonstrationem virginitatis cap. proposuisti 4. eòd. & ibi Gonzalez n. 7. & seqq. vel ad graviditatem mulieris deprehendendam l. senatusconsultum 1. §. 12. ff. de Agnoscent. & alend. lib. l. temporibus 1. in pr. ff. de Venire inspic. vel ad impotentiam conjugalem dignoscendam cap. lamdabilem 5. cap. fraternitatis 6. de Frigid. & malefic. Extraditè & prolixè Paulus Zachias Quest. Medicolegal. lib. 1. tit. 1. q. 7. tit. 3. q. 1. & 2. lib. 3. tit. 1. per tot. lib. 4. tit. 2. q. 1.

Sexta est delictum. Siquidem ubi delictum est admittum, præmissis de corpore delicti per Inspectionem Ocularem disquirendum est per l. cum aliter 1. §. 24. ff. de Scito Silianian. Deinde non raro videndum in cadavere occiso, num morte violenta, vel naturali decesserit? Iterum subinde investigandum, an, qui non statim occisus, sed tantum vulneratus est, ex vulnere occuberit? Præterea nonnumquam dispicendum, fueritne vulnus lethale nec ne? De quibus & aliis, ad Inspectionem Ocularem pertinentibus, agit per extensum commendatus Stryck cit. cap. 1. à n. 16.

§. III.

Quomodo instituitur Ocularis inspectio?

41 **A**d Ocularem Inspectionem ritè instituentem, quædam plura requiruntur. Primum est, ut autoritate Judicis decernatur; isque vel ipsemet præfens sit, vel idoneum Commissarium constituat ex num. 30. & seqq. P. Engel d. l. n. 10.

42 Secundum est, ut præcedat aliqua causæ cognitio, num expedit, rem, de qua agitur oculis usurpari; numve proficuum sit, hos aut illos artis peritos, an alios vocare? Textus in hæc cit. l. si irruptione 8. §. 1. v. si ita res exigit &c. ff. Fin. regund. Stryck cit. disp. 1. cap. 2. n. 2. & 4.

43 Tertium est, ut observetur legitimum tempus, quòd tale, quale pro faciendis probationibus alias statutum est. Stryck d. l. n. 5. & seqq. Imò largius spatium pro Inspectione Oculari, quàm cæteris probationibus, indulgetur: potest enim admitti non tantum post publicata attestata. Mascard. de Probat. in proam. q. 8. n. 9. Brunemann. de Proc. cap. 22. n. 2. sed etiam post conclusionem in causa Brunemann. d. n. 2. imò etiam post rem judicatam. Brunn. d. n. 2. & plures ab eo allegati. Ratio asserri potest: quia Ocularis inspectio, cum habeatur ab experientia sensum, facit summam certitudinem, quæ haberi potest; sicque nullò non tempore videtur admittenda.

Quartum est, ut antecedenter omnes citentur, quos Ocularis inspectio concernit, ex generali regula in l. de unoquoque 47. in pr. ff. de Rejudic. ubi Jctus, de unoquoque negotio, inquit, presentibus omnibus, quos causa contingit, judicari oportet: aliter enim judicatus tantum inter presentes tenet. Potest tamen vel solus Judex, ad se instruendum, Ocularem Inspectionem instituire; vel sola pars, ad se informandam, eandem petere, sed sine præjudicio partis adversæ P. Engel d. l. n. 12. Gail l. obs. 76. n. 10. Brunemann. d. cap. 22. n. 6. Stryck d. cap. 2. num. 11.

Quintum est, ut assumantur ad Inspectionem Ocularem tum illi, qui notitiam singularem de re controversa acceperunt; tum illi, qui artis peritiam profiterentur, quales in occasione aut vulneratione hominis sunt Medici & Chirurgi; in nuntiatione novi operis aut damno infecto Architecti; in quæstione finium Agrimensores; in controversia partis vel virginitatis Obstetrices, aut alia matrone honestæ cap. fraternitatis 6. de Frigid. l. si quis 3. Cod. Fin. Regund. l. temporibus 1. in pr. ff. de Venire inspic. Qui omnes juramentum præstare debent, quòd secundum veritatem & justitiam sua sensa depromere velint; nisi generaliter in officii susceptione Juramentum præstitit.